31

DE NATURALIS PHILOSOPHIÆ LAUDIBUS

ORATIO ISAGOGICA

IN AUGUSTISSIMO PERUSINORUM LYCEO

A VINCENTIO DONATI

Ibidem jam Ethices, nunc verò in Pomeridiana Sede Physices Profeſſore publicè habita

XI. Cal. Decembr. MDCCXLV.

Et ab eodem ipſorum Peruſinorum

STUDIOSÆ JUVENTUTI DICATA.

PERUSIÆ MDCCXLV.

Typis Conſtantini, & Mauritii.

Superiorum Permiſſu.

328.4

Digitized by Google

AD STUDIOSOS

PERUSINORUM JUVENES

PRÆLOCUTIO.

QUum Iſagogica, ſive dicam Introductoria mea hæc Oratio in veſtri ſolummodo gratiam elucubrata atque dicta ſit, Juvenes ſtudioſiſſimi, vobis quoque tantummodo in lucem proditura nuncupanda eſt. Eam igitur eadem ſingulari benevolentia & comitate, qua jam auribus hauſiſtis, oculis percurrite; adeoque ex animo, fervideque ejus arripite patrocinium, nihil ut ipſa a nimis invido ac male-

dico quorumdam noſtratium Zoilorum dente, veſtra auſpicante Minerva, queat metuere. Id quod eo libentius, amabo vos, præſtate; quod me ad eam invulgandam non mei hercle nominis illuſtrandi libido (res enim hujuſmodi ne cogitanda quidem, nedum optanda mihi eſt), ſed una tantum veſtri magis magiſque juvandorum cupido adegit. Quis enim veſtrum ſtudio longe ferventiori eam addiſcendam non ſuſcipiat Facultatem, cujuſce laudes non audierit modo, ſed etiam legerit? Morem ergo ex animi mei ſententia mihi quæſo gerite; id enim ſi conſecutus, ut ſpero, a vobis fuero, valde feliciter perlevi hoc meo cum labore actum exiſtimabo.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO ISAGOGICA

SOlemne Májorum fuiſſe traditur Inſtitutum (*Patres ampliſſimi , Viri Auditores*) , ut quicumque Gymanſtici fungeretur Præceptoris officio , renaſcentibus Studiorum Initiis , perefficaci aliqua eis proluderet oratione , qua ad libentius alacriuſque humaniorum Literarum cultum ſuſcipiendum generoſa Pubes incitaretur . Quamobrem quum ego celeberrimam illam Diſciplinam , quæ circa Naturæ contemplationem occupatur , nunc primum in hac noſtrorum Inſtauratione Studiorum pro virili enucleandam , Ariſtotele duce , ſim aggreſſurus ; non melius quidem profecto , nec efficacius honeſtiſſimos hoſce Juvenes , qui huc me audituri perquam hamaniter convenere , ad tam inclytæ Diſciplinæ operam navandam animari poſſe putavi , quam ſi in medio nonnulla de tam multis iis proponerem , quibus Facultas iſta in Cœlum a ſapientiſſi-

tiſſimis viris ſolet efferri ; hæc enim auribus ipſi accipientes, cohibere procul dubio ſe minime poterunt, quin omni feſtinatione, veliſque & remis, ut ita dicam, ad eam contendant. Præcellentiſſimæ igitur hujus Diſciplinæ laudes memoraturus, hanc in dicendo methodum, ſi per vos licet, ſervabo. Primum ſcilicet ſingularem ejus admirabilemque dignitatem paucis oſtendam. Deinde vero præcipuam itidem atque mirificam ipſius vim ac virtutem longe fuſiori aperire ſermone pro mea parte conabor, debita tamen ſervata brevitate, ne moleſtiam vobis afferam, quos mihi, dum dixero, plane benevolos, dociles que, ac attentos exopto.

Et quoniam (Romano docente Oratore) ad alicujus rei dignitatem declarandam plurimum confert originis nobilitas, quid naturali Philoſophia præclarius, magiſque dignum cogitari umquam poteſt, ſi non hic in terris ab hominibus, ut tot res aliæ, ſed a Diis in Cœlis inventam; ab iiſque hominibus ipſis dono datam eam eſſe, Philoſophorum Eloquentiſſimus pronunciavit? ita forſitan ab immortali Sene Aſcræo fari edoctus, qui dum Minervam Sapientiæ Præſidem, vel potius ipſam Sapientiam e febricitantis Jovis primi a Vulcano ſecuri percuſſo capite in lucem prodiiſſe commentus eſt; palam cunctis hoc figmento facere voluit, inſigniſſimam hanc Diſciplinam, quæ ſola per inclyto Sapientiæ vocabulo in Græcia tunc temporis appellabatur, non aliunde, quam a Jovis capite, hoc eſt ab inexhauſto Divinæ Sapientiæ fonte ad prænobile noſtrum Genus deveniſſe. Imo vero neque Heſiodus ac Plato tantum, ſed & alii quoque tum Græcorum, tum ceterarum nationum veterum Sapientes, indeque

ſan-

ſanctiſſimi Religionis noſtræ Patres rem hanc haud dubie ſingularem mirabilemque in modum naturalem, extollentem Philoſophiam unanimiter profeſſi ſunt. Quandoquidem ipſi egregiæ hujus Diſciplinæ laudes perſequentes, e Cœlis eam deſcendiſſe, ac ſtudio plane præcipuo in hominum animis a Deo impreſſam inſignitamque fuiſſe, tradiderunt. Quocirca penes Antiquos tot ſummos lectiſſimoſque Facultatis hujuſce Proceres effloruiſſe accepimus, puta Abrahamum, ejuſque filium Iſaacum, Jacobum, Joſephum, Moſen, Joſue, Aaron apud Hebræos; apud vero Græcos Thaletem Mileſium, Pherecydem Syrum, Pythagoram Samium, Archytam Tarentinum, Zenonem Eleatem, Platonem Athenienſem, Ariſtotelem Stagiritam; & apud Latinos (ut vetuſtiores alias, propoſitæ conſulturus brevitati, omittam nationes) C. Sulpicium Gallum, M. Catonem, L. Ælium, P. Nigidium Figulum, T. Lucretium Carum, T. Pomponium Atticum, Cornelium Nepotem, alioſque plurimos, quorum omnium princeps M. Terentius Varro, qui Scientiam hanc præclariſſimam veluti præcipuum Divini Numinis donum adeo ſemper coluit, ut veritus nequaquam fuerit inſipientiæ ac ſtultitiæ nomine Literatorum nonnullos arguere, qui ejus inventum aut Libyco Atlanti, aut Ocho, aut Mercurio, aut Orpheo, aut aliis ex mortalibus hominibus attribuebant. Nec id quidem hercle certe injuria. Tam multa ſiquidem ac tanta, quæ nos ab hac Facultate conſequimur, bona ſunt, ut nonniſi admodum peculiari, ac proinde plane mirifico Supremi Arbitris munere nobis traditam ipſam eſſe queat cenſeri. Quippe videtis vos, Auditores ornatiſſimi,

Digitized by Google

videtis, inquam, imprimis, nimium nimiumque obeſſe nobis poſſe inſcitiam, qua de vir quidam Juris pariter ac Eloquentiæ conſultiſſimus (1) verba faciens, *ſordidam otii parentem ac filiam*, *juventutis infamiam*, *ſenectutis dedecus*, *errorumque omnium cauſam & originem* eam ſcitiſſime nuncupavit. Verum enimvero indumentum hoc tam turpe ac perniciosum (ut magno Pimandri cum Auctore eloquar) quis umquam exuere nobis valeat, niſi rerum naturalium præcellentiſſima Facultas, utpote quæ Sapientiæ parens ac Veritatis magiſtra a viris omnibus eruditione pollentibus habita ſemper atque dicta eſt? Peradmirabilem quam ſane quidem, vereque præcipuam hujus Diſciplinæ vim ac virtutem quum impius æque ac fœdus ille Othomanicæ Religionis Inſtitutor Mahumetes a præſtantiſſimis celebrari Philoſophis exaudiſſet, ſtudium ejus prorſum vetitum ſuis aſſeclis voluit, ut hoc ipſi pacto in denſiſſimis ignorantiæ tenebris uſque verſantes, fulgentiſſimam Sapientiæ ac Veritatis lucem conſpicere, atque ideo ſuorum dogmatum falſitatem detegere numquam valerent: Mitylenæorum hercle morem tali medio ſecutus, qui Sapientiam ipſam a populis, quos bello devicerant, uſquequaque ablegatam expetentes, hanc eis legem in ævum manſuram conſtituiſſe traduntur, ut ne ipſi ſcilicet ullam ex ingenuis Diſciplinis, maximeque naturalem Philoſophiam liberos ſuos edocerent; qua quidem pœna nullam aliam graviorem eis irrogari potuiſſe, Hiſtorici annotant, eo quod honeſti optimique parentes nihil acerbius queant experiri, quam ignaros filios habere compelli, quos ipſi alioqui non pro co-

(1) *Joſephus Carpani Orat.* 3.

Digitized by Google

eorum duntaxat; ſed pro ſuo quoque non parvo fructu ac decore Sapientia præditos exoptant.

Videtis deinde, nec enimvero multo maximum citra mœrorem videtis, obnoxios nos eſſe vitiis, quibus qui ſe dementer improvideque tradunt, longe amariſſimam deguſtent fortunam neceſſe omnino eſt; ipſa rerum magiſtra Experientia docente, individuos vitiorum ſocios calamitates exiſtere. Iis autem vere admodum quam flebilibus animi noſtri languoribus vel occurrere, vel mederi naturalem Philoſophiam mirabiliter poſſe, quis ire audeat inficias? Profecto Mileſius Thales, Pherecydes, Pythagoras, aliique pene dicam innumeri ejuſdem notæ viri emendatiſſimis uſque moribus ideo fuiſſe dicuntur, quia rerum cauſis effectibuſque inquirendis jugem ac ſtrenuam navare operam, quoad anima ſpirarunt ſua, non renuerunt. Et non pauci quidem illi Crotoniatarum ingenui adoleſcentes, quibus lucis uſura ea tempeſtate frui contigit, qua ſedem Crotone Pythagoras fixit, etiamſi proni ſatis ad illam eſſent voluptatem, quæ ſenſibus hauritur; Pythagoricis tamen imbuti doctrinis, caſtimoniæ ac modeſtiæ, aliarumque virtutum ſpecimen & exemplar mirificiſſimum evaſere. Præterquamquod memoriæ proditum ab atavis Sapientibus eſt, divinum illum Athenarum Senem, qui auctor fuit Philoſophiæ moralis, nihil umquam in veteri Academia de inſtituenda vita, confirmandiſque moribus, de officiorum genere, de virtutibus, ac vitiis diſſeruiſſe, quod a modo laudati Samiorum Philoſophi carminibus non ſumpſiſſet. Quare M. Tullius verba de ipſo in Academicis habens, *Primus ille*, inquit, *a rebus occultis, & ab ipſa natura involu-*

tis, in quibus omnes ante eum Philoſophi occupati fuerant, avocavit Philoſophiam, & ad vitam communem adduxit, ut de virtutibus, & vitiis, omninoque de bonis rebus, & malis quæreret. Exploratiſſimam juxta quam ſane doctrinam divinam Socratis mentem ac ſapientiam declarantem, neſcio quis Vates minimè ignobilis (2.) perquam illuſtri hac noſtra de Facultate cecinit,

——————————— *recto vivere talo*
Hęc dedit, ut veri ſpeciem dignoſcere poſſis,
Neque ſubærato mendoſum tinniat auro:
Quæque ſequenda forent, quæque evitanda viciſſim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notares.

Videtis præterea, Res omnes publicas, quæ bene moratæ ſunt ac bene coſtitutæ, in occaſum eſſe plane abituras, ſi graviſſimos lectiſſimoſque deſiderari accidat Patres, qui eas præclare regant atque gubernent. At perarduum vero Reſpublicas moderandi munus quoſnam præclarius obire poſſe ducitis, quam longe clariſſimos ejuſdem naturalis Philoſophiæ Cultores, quibus unis (Ægyptiorum Sapientiſſimo teſtante) datum eſt ea noſſe omnia, quæ ad optimum ipſarum regimen valent conferre? Id quod quum poſt Mercurium Triſmegiſtum Rex quoque Salomon in ipſo ſui moderaminis exordio animo ſecum reputaſſet, ut bene ſuum multum regere poſſet populum, hanc unam a Deo Facultatem, dum Sapientiam ab ipſo petiit, teſte Hieronymo, poſtulavit: votique compos cumulatiſſime factus, ſcite adeo, adeoque prudenter Judaicam gerere jam tum cœpit Rempublicam, nullum ut umquam alium publicarum Rerum Moderatorem ei ſimilem in terris fuiſ-

(2) *Apud Theatr. Vit. Hum. v.* Philosophia.

fuiſſe, neque futurum eſſe, Sacræ Paginæ confirment: Ex quo deinde illa haud utique injucunda ejuſdem Salomonis Regibus hortatio, *Si delectamini ſedibus & ſceptris, o Reges populi, diligite Sapientiam*, eam ſcilicet Sapientiam, quæ, ut poſtea Salomon ipſe declarat, non recte ſolum ac honeſte vivendi modum præbet, ſed etiam oſtendit *diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & conſummationem, & medietatem temporum*, eorumque *viciſſitudinum permutationes & commutationes, anni curſus, ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, iras beſtiarum, vim ventorum*, & id generis alia, de quibus agit Philoſophia naturalis: ita ut jure pol ſane quam maximo a Platone traditum ſubinde fuerit, *Tunc denique Reſpublicas beatas fore, quum eas aut Philoſophi cœpiſſent regere, aut qui regerent, philoſophari*. Accedunt Rectoribus hujuſmodi, accedunt, inquam, Arma, quibus itidem opus non ſecus ac Rectoribus ipſis eaſdem bene moratas ac bene conſtitutas Reſpublicas habere compertum eſt, ut eis nimirum *vel tectæ ipſæ*, ut ait Cicero, *eſſe poſſint, vel provocare improbos, vel ſe ſe ulciſci laceſſitæ*; quumque autem Armis, ne infauſto cum eventu ea tractari contingat, rei militaris ſagaciores viri, ex eodem Tullio, præficiendi ſint; quibuſnam aptius per veſtram fidem vel hæc provincia demandari poterit, quam eiſdem inſigniſſimis Diſciplinæ noſtræ Cultoribus, qui dum rerum naturas, meditando, percipiunt, ea quoque, teſte Plutarcho, quæ Bellicam utcunque attingere poſſunt Artem, aſſequuntur, atque ideo prælia caute cum hoſtibus alacriterque ſuſcipientes, victoriam omnibus numeris abſolutam plerumque re-

Digitized by Google

reportant, & feliciſſime triumphant? Contra vero; qui ſuis tantum confiſi viribus in aciem audent exire, nihil antea in ſecretioribus ipſius naturalis Philoſophiæ penetralibus meditati, nullo negotio profligantur, penituſque delentur; quemadmodum efferatis illis ac barbaris Hunnorum, Vandalorum, Gothorum, Alanorumque nationibus uſuveniſſe conſtant, quæ etſi validæ ſatis Armis eſſent; quia bene tamen præliandi ratione ex Diſciplinæ hujus imperitia omnino carebant, funditus interire coactæ ſunt. Id quod citra dubium vel immaniſſimæ Turcarum eveniſſet nationi, niſi ejus inter Principes Amurathes primus, Mahumetes alter, Bajazetes, ac Solimanus extitiſſent, qui ipſius Regnum longe lateque per Aſiam, Europam, & Africam ineffabili Chriſtianæ Reipublicæ cum mœrore ac luctu Armis propagarunt, naturali auſpice Philoſophia, cui quam ſedulam ipſi operam ſuæ contra Religionis inſtitutum præbuiſſe memorantur, ducti exemplo tot excellentium veteris militiæ Imperatorum, ac præſertim Alexandri Magni, ejuſque Parentis Philippi, ac Julii Cæſaris, qui idcirco fauſte ſemper feliciterque Arma tractaſſe perhibentur, quod apprime inſtructi noſtra hac tanta erant Facultate, quam divinus Plato, cæterique omnes vetuſtæ Sapientiæ Præſides non utilem modo, ſed prorſus neceſſariam iis eſſe contendebant, qui ſibi ſupremum ipſorum Armorum regimen vellent attribui.

Quod ſi tantopere naturalis Philoſophiæ ſubſidio queunt Arma indigere; de Literis vero, in quas vos æque ac in Arma impetu quodam naturæ incitamini, Juvenes generoſiſſimi, quid ſentiendum putatis? Annon vel

ipſæ

ipſæ eodem modo, quo Arma indigent, penitus nimirum ejus præſidio indigebunt? Certe ita eſt: negari non poteſt. Nam ſi confeſtim ad ipſarum Literarum præſtantiores, ac in primis ad Artem Oratoriam, quæ præcipua earundem Literarum pars olim credita fuit, mentis noſtræ oculos convertere velimus, quidnam laude ipſa dignum præ ſe ferre umquam poſſet, ſi multiplici illa, variaque, ac plane lectiſſima deficeret eruditione, quam ei rerum naturalium Diſciplina valet ſuppeditare? Enimvero M. Tullius Cicero bonus in primis Eloquentiæ judex vim adeo magnam ad bene dicendum huic ineſſe Facultati arbitrabatur, ut ab ipſa tantummodo uſquequaque dignos ac perfectos effici poſſe Oratores, memoriæ tradere non dubitarit: ita ſcilicet conſcribere monitus cum a ſuiippſius experimento, tum ab exemplo veterum omnium Græcæ Facundiæ Parentum, maxime vero Periclis ac Demoſthenis, quos ad tam miram, omninoque præcipuam in dicendo præſtantiam per ſolam Phyſicæ Diſciplinam, cujus ipſi peritia longe præ ceteris multumque pollebant, evaſiſſe, Artis Rhetoricæ Magiſtri teſtantur. Qua quidem ex re clare patet, quam probe ſapienterque ſenſerit Janus Nicius Erytrhæus, dum illud chartis Monitum conſignavit, *Suavius* videlicet *dicendi genus eructari a nemine poſſe, quam ab eo, cujus pectus multarum rerum ſcientia compleatur: vixque fieri poſſe, ut eum facundia deſtituat, cui rerum copia ſuppetat.* Id quod in Antiquos, præter memoratos Oratoriæ Artis Profeſſores, Philoſophis etiam ſatis multis, imprimiſque Platoni, ejuſque diſcipulo Ariſtoteli, Theophraſto, ac Xenophonti, de quorum eloquio magna ubique leguntur;

Digitized by Google

tur; & in Recentiores Civi noſtro M. Antonio Bonciario, Naugerio, Riccio, Sigonio, ac multo magis Mureto contigiſſe liquet, qui tantæ ſuavitatis, ac eloquentiæ tantæ videbatur, ut a nobiliſſimis Galliæ populis nunc alter Plato, nunc Demoſthenes alter, nunc Mercurii filius, nunc vero Mercurius ipſe, hoc eſt Sapientiæ ac Eloquentiæ Numen; & a Romanis æquiſſimis rerum æſtimatoribus Orator non ab hominibus datus, ſed Cælo miſſus appellari promeruerit: ingens cujus proinde nomen æternitati ab hujuſcemodi eloquentia ac præſtantia in Arte Oratoria commendatum, nulla umquam temporum, hominumve injuria poterit delere.

Oratoriæ finitima Facultati habetur a Cicerone Poeſis: quæ tametſi quodam furoris afflatu percipiatur, ſine quo Poetam bonum eſſe neminem poſſe, Cicero ipſe ait; omne tamen complementum eam quoque accipere a naturali Philoſophia, illud nobis unum apertiſſime declarat, antiquorum videlicet Alumnorum ejus monumenta nihil prorſus fuiſſe aliud, quam naturalem ipſam Philoſophiam vincta numeris orationè comprehenſam, allegoriæ velamine obumbratam; quemadmodum talia eſſe conſpicimus Epica Homeri ac Virgilii Poemata, quæ ludi proinde dicta ſunt totius divinæ, ac humanæ Sapientiæ; quo ſub divinæ, ac humanæ Sapientiæ nomine apud Veteres præcelſa hæc noſtra tantum ibat Facultas, quam Veteres ipſi deſcribentes, *Rerum divinarum, & humanarum, cauſarumque, quibus eæ res continentur, Scientiam* nuncuparunt.

Eximiam, pulcherrimamque Poetices Artem conſe-

38

ſequitur Facultas Juris Civilis : longe auguſtiſſimæ cui pariter Facultati opis tantum præberi poſſe a naturali Philoſophia , cuncti ejus priſci Antiſtites exiſtimaſſe feruntur , ut Scientia iſthac detracta , modis omnibus pernicioſam, nedum inutilem habendam ipſam eſſe, palam ubique prædicarent . Nec immerito id quidem. Nam quum *in Legum codicibus evolvendis quam plurima paſſim occurrant implexa, obſcura, in ſe ſe recurrentia, ac ferme inexſtricabilia*, ut ſcite pariter ac eleganter de noſtratibus unus (3.) ſcripto tradidit ; ecquis ea percipere , ac in unguem ad hominum utilitatem enodare ſe umquam poſſe confidat , niſi præſto naturalis ipſi adſit Philoſophia, quippe quæ una , ex Literarum Parentis monitu , abditiſſima quævis ænigmata valet aperire ? ſicuti jam hæc re vera per Salomonem aperuit Sabæorum Reginæ, quæ Salomonem ipſum in eis tentatura Hieroſolymam petiit; Sacro teſtante Eloquio, *non fuiſſe ſermonem, qui Regem poſſet latere, & non reſponderet ei*; qua de re mirabunda Regina, pervulgatiſſima ea in verba prorupit, *Major eſt Sapientia & opera tua, quam rumor, quem audivi.*

Poſt numquam ſatis pro dignitate laudatam Juriſprudentiæ Facultatem Diſciplina illa vere mirifica, uno cujus beneficio Tyndaridem ac Hippolytum in vitam Æſculapius revocaſſe narratur, Medicina, inquam, eſt: quam itidem vires omnes a naturali Philoſophia mutuari e non parva quidem illa affinitate, quæ has duas inter Facultates privatim verſatur, ipſis clarius Phœbi radiis apparet . Siquidem Philoſophia naturalis Naturam contemplandam ſibi proponit : Ars vero Medica

e ipſi-

(3.) *Jo. Angelus Guidarelli Perus. Prolus.* 1.

e ipſius Naturæ legibus ſuas præceptiones eruit : illa circa magnum, hæc circa parvum Mundum occupatur: Animo illa medetur, hæc autem Corpori: ac illa denique hujus ita quidem intereſt, & hæc illius, nulla ut prorſus ratione alteram ab altera ſecerni Majores paſſi ſint; nam ex illuſtrium teſtimonio Scriptorum, nemo antiquitus Phyſicus erat, qui non eſſet etiam Medicus, & Medicus nemo, qui Phyſicus pariter non exiſteret: & quo quiſque magis Phyſica in Scientia præſtabat, eo magis excellebat in Arte medendi; quemadmodum de Chirone Achillis Medico, de Chryſippo, Aruntio, Avicenna, Galeno, ac in primis de Hippocrate notum eſt, qui adeo felix, ſummus veluti Phyſicus, in ægris hominum corporibus medendo fuit, ut Æſculapio prognatus vulgo crederetur: id quod ipſi neutiquam hercle obtigiſſet, niſi complexus plane fuiſſet Phyſicorum Diſciplinam, a qua ſola nobiliſſimos optimoſque Medicos procreari poſſe, Sapientes omnes affirmant; unde illud vel lippis ac tonſoribus notum Effatum, *Ibi incipit Medicus, ubi deſinit Phyſicus*.

Quod vero ad Facultatum omnium principem Theologiam Divinaſque Literas attinet, ſupervacaneum omnino eſt ea in medium proferre, palam quibus fieri vobis poſſet, vel ipſas plane inniti Philoſophiæ naturali. Quandoquidem ex eo quod Facultas iſta humanis Diſciplinis neceſſaria exiſtit, veſtrum quiſque inferre valet, impedio magis neceſſariam eam eſſe Theologiæ Sacræ ac Divinis Literis, quæ rerum dignitate ac altitudine humanas ipſas Diſciplinas longiſſime ſuperant. Unum tamen, quod multo revera ſingulariorem mirabilioremque naturalis Philoſophiæ vim ac virtutem oſtendit,

ſilen-

Digitized by Google

ſilentio nequaquam prætereundum eſt, puta quod ipſa non ſolum hucuſque rudi plane Minerva commemorata præſtare, ſed Orthodoxam quoque noſtram Fidem (ſine qua neminem unum *Deo placere, & ad filiorum ejus conſortium pervenire poſſe*, Apoſtolus tradit) ab impiiſſimis ejus hoſtium inſidiis vindicare potentiſſime valet atque tutari. Quod ut ne gratis a me dictum veſtrum quiſpiam opinetur, teſtes huc advoco locupletiſſimos Athanaſium, Baſilium, Nazianzenum, Chryſoſtomum, alioſque ſanctiſſimos Eccleſiæ Patres, qui hac potius divina quam humana Facultate ſidereo veluti gladio muniti, aut multos maximas Hæreticorum ac Infidelium acies profligare, aut meliorem ad ſegetem eos revocare quam ſæpiſſime valuerunt. Et licet quandoque nonnullos Chriſtifideles hac Diſciplina bene peritos a recta Fidei norma deſciviſſe contigerit; id ipſum tamen non Scientiæ hujus defectu (iſthæc enim, ex orthodoxis eiſdem Patribus, efficax per ſe magis, magiſque valida ad continendos in Fide Fideles exiſtere non poteſt), ſed eorum duntaxat pravitate hujus ipſis Diſciplinæ abuſum ſuadente eveniſſe putandum eſt; nam ut optime dictum a Veteribus fuit, *Nihil eſt tam utile, nihil tam ſanctum, quo hominum malitia non poſſit abuti*. Quocirca percelebris illa Divi Pauli Coloſſenſibus admonitio, *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam*, ideſt per eam Philoſophiam, quæ, ut ipſimet orthodoxi Patres interpretantur, hominum nequitia fallaciis, erroribuſque Chriſtianæ oppoſitis Religioni erat corrupta; qualis præcipue fuit illa Epicureorum, qui in una tantum corporis voluptate ſummum hominis bonum conſtituerunt,

Uni-

Digitized by Google

Univerſique hujus Architecti Moderatoriſque providentiam, ac rationalis Animæ immortalitatem denegarunt; quam ob rem indigni, qui inter Philoſophos numerentur a ſapientiſsimis permultis viris habiti ſunt, ac potiſsimum a Doctore Maximo, qui eos *non tam Philoſophos*, *quam Philoſophorum pecudes* extitiſſe, immortalibus monumentis conſignavit.

Quæ quidem omnia quum ita ſe habeant: quis modo veſtrum, ſtudioſiſſimi Juvenes, ceterique quotquot adeſtis Auditores humaniſſimi, quis, inquam, veſtrum Latinæ Principi Eloquentiæ, ac Macedonum Regi Alexandro quam cum maxime non plaudat? quorum alter nullum bonum hac Diſciplina optabilius, nullum præſtantius neque datum a Diis hominibus eſſe, neque datum iri, ajebat; alter vero ſe plus debere Ariſtoteli, a quo Scientiam hauſerat rerum naturalium, quam Philippo, a quo vitam ipſam, ac Regnum acceperat, prædicabat: & quum ab illo *Auſcultatorios Libros*, quibus ipſis proludendi honos mihi eſt, in vulgus editos cognoviſſet; quamquam ea tempeſtate compluribus magni momenti teneretur negotiis (nam uti Gellius meminit, *armis, exercituque omnem prope Aſiam tenebat, Regemque ipſum Darium præliis & victoriis urgebat*); eum tamen de hoc per literas expoſtulavit, inquiens, *Haud recte feciſti, quod Auſcultatorios Libros edideris. Nam qua alia re præſtare ceteris poterimus, ſi ea, quæ ex te accepimus, omnium prorſus fient communia? Quippe ego doctrina anteire malim, quam copiis, atque opulentiis*. Permirificam quam ſane certe, imo longe mirificiſſimam hac de Facultate opinionem utinam tam excors quoque ille

Ro-

Romanorum Imperator Domitianus habuiſſet; non enim ecerbiſſima præconis voce ab Urbe ac Italia depuliſſet Interpretes ejus, quos ceteri omnes egregie cordati Principes viri quam ampliſſimis, ac plane divinis affectos honoribus, ſuiſque ſemper lateribus junctos omnimodis voluere; ſcientes cum Prudentio, quod *Tunc Regnis fortuna ſatis, ſi vel Reges ſaperent, vel regnarent Sapientes*.

Quare animum, quæſo vos, huc agite omnem, Adoleſcentes optimi; huc omnes ingenii vires, cogitationes huc omnes, huc omnia vota dirigite. Quid enim dulcius, quid præclarius, ac laudabilius, quam eam enixe callere Diſciplinam, qua de tot ac tanta valent enunciari? Spectatiſſimos utique, fidiſſimoſque duces ac comites ad ipſam aſſequendam (præter auguſtiſſimos hoſce Patres, qui in omni doctrinarum genere miro modo excellunt) ultro vobis e veſtigio ſeſe offerunt quatuor illi ubique terrarum celeberrimi viri, Ariſtoteles, Lucretius, Gaſſendus, Carteſius, veriores quorum decentioreſque Sententias in unum coegit Edmundus Purchotius ævi noſtri Philoſophus longe digniſſimus, cui proinde ſoli ut ſtrenuiſſimam nunc primum operam ſub haud pœnitendo Interprete impendatis, quam poſſum ſtudioſiſſime a vobis contendo; nam ſi eveniat, ut ea omnia percipiatis, quæ talis tantuſque vir de generali ac ſpeciali Phyſica ex potioribus præfatorum Sapientum doctrinis quam ſollertiſſime conſcripſit, in dubium minime voco, quin vobis facem hac eruditione præferente, *ad ſecretiora naturalium diſciplinarum arcana in quavis Philoſophorum hypotheſi*, & ad ipſas quoque dudum relatas Facultates

inoſ-

inoffenſo progredi pede valeatis : donec tandem ad ſummum Sapientiæ culmen ab hac evecti Diſciplina, experimento fateamini, jure vel optimo ceciniſſe Heſiodum,

Felix , qui rerum potuit cognoſcere cauſas.

Quod ut vobis Neſtoreos in annos nec pro veſtro minus , quam Reipublicæ emolumento fateri poſſe contingat , bonorum omnium Largitorem Deum Optimum Maximum exoro.